AD CARDINALITIAM

QVAESTIO MEDICA.

Matutinis agitanda concertationibus in Scholis Medicorum Pariſ. die Iouis 26. April. Clariſsimo viro D. Ioanne Dureto Doctore Medico Regio, Moderatore.

An Partium Similarium ſola proprius intemperies morbus?

QVEMADMODVM alimenti eius inopia, quo quidem innati calidi atque humidi neceſſariò contingentia detrimenta accuratè inſtaurentur (quale quod in Eden Adam ante peccatum edere potuit, corporeæ omnis naturæ vniuerſam vim exuperans, quodque θεόμαχοι quidam dudum fruſtra per ignes quærunt) omni homini fatale mori eſt: ſic & morbis innumeris obnoxium fieri, qui niſi Medicinæ operâ, citra quam nunquam quiſquam ſanari potuit, ceſſent, vitam definito ocyùs tempore finiunt.

MORBORVM autem (ſiue illi partium ſimilarium, diſſimilariúmve, quæ ſolæ organicæ non videntur, proprij ſint, ſiue ambarum communes, vt ſoluta continuitas, doloris cauſa non vnica) quot Ideas cernimus, tot remediorum differentias eſſe oportet, non vnam Panaceam, quam natura nullam ferre poteſt, ne quidem ſi cœleſte corpus, cuius tamen pars nulla elementari refuſa eſt, lánguentibus adiungenda corporibus haberetur; nedum ſi aurum ieiuna & fatua res, nunquamque viſa videndáve potabile apportetur. Compoſito ſanè morbo qualis Pleuritis, aut Peripneumonia, quod è diametro κατ' ἄλλος vel, ſi cum iſtis ineptire libet, ſpecificè opponatur, qui pharmacum aliquod à naturâ productum dicunt, quoniam τῷ κατὰ συμβεβηκὸς ὄντι contrariam ſubſtantiam ponunt, & relatorum ideas conſtituunt, iam nec ſecretorum repertores, nec ſecretò impoſtores habeantur.

SED quoniam per ſimilares animalis partes diffuſa vitæ virtus eſt, earum propterea Medico præcipuè curandi contra naturam affectus, qui nullo modo ad formam aut materiam, vt nec ipſa pertinere ſanitas poſſunt, nec magè ad vitia, defectus, exceſſus ſalis, ſulphuris, mercurij, quæ tria vllis in corporibus præſertímq; in ſenſū præditis, à quorū prorſus cōditione abhorrēt, reperiri, Alchimiam bene docti negant. Enimuerò vt generationis omnis & corruptionis occaſio, in elementorum tranſmutatione: ſic omnis ad corruptionem via, in eorundem alteratione conſiſtit. Hæc in ὁμοιομερέσι intemperiem facit, vitiorum conſiſtentiæ potētem. Hos materiæ morbos eruditi quidam impropriè dicunt, quibus illorum miſeria non tribuitur, quos ab hydrargyri aſpiratu tremulos vides. Sed enim forma omnis vt ad ſuam temperiem ἀναλογίᾳ dirigitur, cumque ea connectitur, ita eius ſua cauſa, propagandæ virtute pollet.

HINC omnis ſubſtantiarum cum proprietate ſympathia, & antipathia, per ἰδιοσυγκρασίαν agens, illic conſocialem, hîc aduerſam. Etſi enim à calido, aut humido, aut frigido, aut ſicco, panis non habet quod noſtrum alat corpus, nec rheum, quod bilem trahat; tamen id vtrumque à temperamento accepit, ἀῤῥήτῳ οὐκ ἀδήλῳ, quod quidem à totius ſubſtantiæ proprietate reipſa non differt: In diſtillatis autem ſic perit, vt ea nutriēdi, purgādíque facultate omni deſtituat. Nonne venenorum in eo maleficētia conſiſtit, quod corporum temperamentum, ſuum aſtruendo, funditus euertunt? antidotis totidem oppugnanda, adeoque alexipharmacis, quorum ferè omnium & ſingulorum vires, mixtione mirum in modum adauctas, theriaca continet, Dei ſingulari munere, magis quàm artis inuento, hominibus conceſſa.

CÆTERVM vt in mineralibus, plantis, animalibus: ita in aqua, terra, aëre, eiuſmodi ineſſe vis poteſt. Ignis enim, cuius & aërio de calore vitalis omnis exiſtit, nec putredinem admittit in ſeipſe, nec aliis inhærere patitur. Reliqua tria, vētilationis defectu, mutuis inquinamentis, tempeſtatum alienationibus, luminarium defectionibus, commixtione ſiderū ἀνεπιτηδείῳ, putrentia, peſtem inducunt, infectione ſpirituum, corporum corruptione, adeóque inflammatione, id eſt, prægrandibus intemperiebus lethalem. Neque profectò per νοσερὴν ἀπόκρισιν aliud rectè quam aërem intellexeris, procreādis vitæ ſpiritibus ineptum, procreatis infeſtum, viuendíque proinde θεμέλια, in calido & humido animę addictis conſtituta demolientē, & explodentem.

Ergo Partium Similarium ſola proprius intemperies morbus.

Aſſerebat RENATVS CHARTERIVS Vindocinenſis, anno Domini 1607.